ANIMADVERSIONES QUÆDAM

CIRCA

HYDROPHOBIAM ET CAUTELAS IN ILLA ADHIBENDAS,

QUAS, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, argumentantibus Profeſſoribus illuſtriſſimis, D. PAULO-JOSEPHO BARTHEZ, Univerſitatis Cancellario; D. GASPARDO-JOANNE RENÉ, Decano; D. ANTONIO GOUAN, Pro-Decano; D. FRANCISCO BROUSSONET, D. FRANCISCO VIGAROUS, D. HENRICO-LUDOVICO BRUN, D. HENRICO FOUQUET; D. JOANNE-BAPTISTA-TIMOTHÆO BAUMES, publicis ſubjiciebat diſputationibus, AUCTOR, FRANCISCUS-RENATUS MARTIN, ex urbe Melle, olim apud Pictones, nunc verò *Département des deux Sèvres*, Liberalium Artium Magiſter, die mensis anni 1791.

Pro primâ apollinari laureâ conſequendâ.

Primitias dedimns quas noſter agellus habebat,
Quales ex tenui aure venire ſolent.



MONSPELII,
Apud JOSEPHUM-FRANCISCUM TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographum, & Bibliopolam.

M. DCC. XCI.

AMICO Nec-non AVUNCULO MEO

DILECTISSIMO

DOMINO FOURNIER,

MONSPELIENSI DOCTORI MEDICO,


HAs in Arte Medicâ debiles ingenioli primitias, in æternum & publicum amicitiæ reverentiæque monumentum,

Dat, vovet & consecrat,



Obsequentissimus & avunculi insistere vestigiis nepos cupidissimus,

F. R. MARTIN, AINÉ.



ANIMADVERSIONES QUÆDAM

CIRCA

HYDROPHOBIAM ET CAUTELAS IN ILLA ADHIBENDAS.

LEGIBUS academicis pro Baccalaureatûs gradu consequendo satisfacturus, mihi hydrophobia tractanda incumbit: arduum sanè pro virium modulo negotium; attamen, si cum eâ dignitate diligentiâque tyroni conveniente, atrocis hujusce morbi signa pathognomonica simulque diversas medendi rationes delineaverim, scopum attigisse credam. Quamvis verò maximam ad objectum condignè tractandum attentionem adhibuerim, multa manca, multa omissa, multaque erronea, certè in hacce dissertatiunculâ, invenietis; PATRES ILLUSTRISSIMI, indulgeatis igitur obtestor; benevolentiâ, amore benignitateque vestrâ, debiles ergà tyrones nunquàm exhauriendâ fretus, sic pensum aggredior.

Omnium quibus humana gens tam diversè cruciatur morborum, nullum me herclè sæviorem nullumque attentione medici hydrophobiâ digniorem existimo. Si tamen Domino *Bosquillon* adhibenda esset fides, tot & tantas

de hocce morbo, *Galenus* & *Themiſon* ac neoterici cognitiones habuere. Perſcrutatis verô, qui de rabie ſcripsêre, celeberrimorum hominum operibus, ſicuti *Andry*, *Deſſault*, *Laſſone*, *Portal*, *Sauvages*, aliorumque, quod toto cœlo diſtent à neotericis veteres, quodque ſuperſtitione & inſcitiâ, abſurdiora remedia ſibi auctoritatem conciliarint, facilè patebit; & reipsâ parvâ tentatorum virtute remediorum pertæſi veteres, hunc morbum nullam admittere curationem aſſeruere; undè, crudeliſſimo humanitatis principio, deſperatus æger in lecto vinculis adſtrictus, miſerrimæ ſuffocationi rei inſtar, affinibus ſibi quandòque cariſſimis condemnabatur (1).

Ut autem noſtræ perfectior ſit diſſertatiunculæ deſcriptio, utque illam methodicè tractemus; 1°. duplicem diſtinguemus rabiem, ſcilicèt ſpontaneam & communicatam. Spontaneam dicemus quæ abſque ullo tactu, abſque ullo morſu rabioſi animalis in homine producitur. Communicatam verò quæ iſtis procreatur cauſis. 2°. De ſede rabiei, 3°. de ſymptomatibus, 4°. de prognoſi, 5°. tandem de curatione verba faciemus.

De hydrophobiâ ſpontaneâ.

Spontaneæ hydrophobiæ in hominibus, pauca apud auctores reperiuntur exempla. Ab animalibus plerùmque infeſtantur. Inter ea quæ rabie obnoxia numerantur, lupi, feles, vulpes, urſi & canes, &c. primum obtinere locum videntur; undè celeberrimus *Morton* (2) « quod tamen vehementer miror, » cùm nulla domus ſine cane ſit, ejuſque totiuſque familiæ non ſine ratione » præſidium vocetur, imò cùm omnium gregum beſtiarumque ruralium » aſſiduus & fidelis cuſtos ſit, imò mulieres, cujuſque ferè ſortis, ſolius vo- » luptatis & animi causâ, eos in ſinibus ſuis geſta e amant, & intrà ipſos

(1) Il n'eſt pas néceſſaire aujourd'hui de montrer l'horreur & la barbarie de cette méthode, qui étouffoit, il n'y a pas bien long-temps, les malades entre des couvertures ou des matelats; elle eſt prohibée dans pluſieurs pays, & ſans doute elle ſeroit punie, au moins elle devroit l'être, dans ceux même où elle ne l'eſt pas encore. *Tiſſot*, avis au peuple.

(2) Explicatio medicinalis de hydrophobiâ, pag. 40.

» lectos admittere ; adeò non ſatis eſt, eos eſſe domeſtica animalia, niſi » mensâ & toro qnoque accipiantur. Item horum plurimos rabie periere, » ſcilicèt morbo canibus, & id genus animalibus ſolis peculiari, teſte *Galeno*, » idcircò providentiam divinam magnoperè laudo & à morbo omnium longè » ſæviſſimo humanum genus etiam invitum tueri velle. »

Nunc verò ad objectum redeamus. Spontanea à medicis fide digniſſimis obſervata fuit hydrophobia. De muliere triginta ſex annorum natâ, loquitur *Salius diverſus* (1), quæ primò febre peſtilenti detenta fuit, hocce morbo profligato, dyſenteriâ paulò poſt afflicta, rursùs ſanata, & tandem hydrophobica facta eſt ; ita ut bibere, ſed ne ſuſtinere quidem, quin crudelibus afflictaretur convulſionibus, coràm ſe bibentes non poſſet. Octavâ die obiit. Mulieris quoque hiſtoriam narrat *Malpighi* (2), quæ à puellâ digito, per acceſſum epilepticum, morſu vexatâ, hydrophobiâ fuit correpta. Sic & etiam *Joannes James* (3) hydrophobiam ventriculi inflammationi ſupervenientem vidit, largâ repetitâque ſanguinis miſſione ſanatam. Laryngis, aſperæ arteriæ, alimentariique canalis inflammatio hydrophobiam procreare poſſunt, teſtante *Portal* (4). Se virginem vidiſſe aſſerit quæ anginâ mortuâ, adeò omnia ante mortem horruit liquida, ut liquores etiam ſpiſſiſſimos ne videre quidem poſſet, utque ad lucis alborumque linteorum conſpectum tremeret. Contendit illuſtriſſimus *Morgagni* (5) quod ab animi pathematibus produci poſſit hydrophobia. Si diſſertationis ſinerent limites, iſtam per facta ab illo obſervata probaremus aſſertionem ; huic articulo finem imponendo, obſervabimus tantùm qnod minus ſit in ſpontaneâ quam in communicatâ periculum, quodque facilius remediis cedat.

---

(1) De febre peſtilenti.

(2) Opera poſth.

(3) Dict. univer. med. art. hydro.

(4) Obſervatlons ſur la rage.

(5) De ſedibus & cauſis morborum.

De ſede rabiei.

De rabiei ſede virûs multi mentionem fecere Medici, aſt inter ſe valdè diſſentiunt. *Democriti* qui in ſyſtemate nervoſo collocavit, ab antiquiſſimis Medicis immeritò nobis oppugnata videtur opinio (1). Alii in ſalivariis glandulis, alii in cerebri membranis, alii tandem in ſtomachi orificio aſſignare. Haſce refellit opiniones *Codronchius*, & contendit cor eſſe partem ptopriè affectam. Adeſt, juxtà *Plinium* (2) in linguâ canum vermiculus, quo exempto, infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Multi alii ſolis vermibus rabiei cauſam tribuere; *Bauhin*, *Bartholin*, *Deſſault* hanc opinionem admiſere, illamque cadaverum aperturâ innixere. Etenim aſſerit *Bauhin* ſe vermes in luporum rabidorum renibus inveniſſe. Medicos in hac quærelâ conciliare ſuſcipiat alius; nos verò in ſententiam celeberrimorum *Democrite* & *Portal* deſcendimus, & cum illis credimus nervos præcipuè affici (3). Et reipsâ omnium partium oris irritationem, omnium membrorum inferiorifque malæ convulſiones, aliaque hujus modi ſymptomata, apprimè per nervos explicari poſſe, nobis videtur. Hoc poſito, inconcuſſum manet, poſt *Portal*, nervos eſſe rabiei ſedem. Cur autem ſubitò non appareat rabies ſic explicat. « Il eſt probable, dit-il, que l'humeur de la rage ne devient délétère » que lorſqu'elle a été ſoumiſe à la chaleur animale un temps plus ou moins » long, & qu'elle eſt plus intimement mêlée avec la ſalive; elle devient alors le

(1) On peut, pour s'inſtruire plus amplement de ce fait, lire l'ouvrage de *Codronchius*.

(2) Hiſtoire naturelle, liv. 29, ch. 5.

(3) Tout prouve que les nerfs ſont les organes que le virus de la rage affecte. Les ſymptômes qui l'annoncent, & qui caractériſent cette maladie, ſont de la nature de ceux qu'on obſerve dans les maladies convulſives. Les ouvertures des cadavres viennent à l'appui de notre opinion & elle reçoit un ſurcroît de preuves de la cauſe même qui produit la rage. *Portal*, obſ. ſur la rage.

» ſtimulus le plus puiſſant du pharinx & de l'œſophage qui ſe contractent
» violemment ; leur cavité ſe rétrecit ; les vaiſſeaux ſanguins & lympha-
» tiques de leurs parois ſont reſſerrés, le ſang ne peut les pénétrer, il
» s'arrête dans les vaiſſeaux voiſins, coule en plus grande abondance dans
» les glandes ſalivaires, ce qui augmente leur ſécrétion. Cependant il
» n'eſt guère poſſible, quelle que ſoit la contraction du pharinx & de l'œſo-
» phage, qu'une partie de la ſalive infectée par le virus hydrophobique,
» ne découle dans l'eſtomac & dans les inteſtins, qu'elle ne corrompe
» l'humeur gaſtrique & inteſtinale, ſi analogues par leurs qualités avec
» le ſuc ſalivaire. Ces humeurs viciées pénètrent les vaiſſeaux lactés, &
» parviennent dans le ſang, de ſorte que les glandes ſalivaires deviennent
» un nouveau foyer du virus plus délétère encore que celui qui a été
» communiqué par l'animal enragé. »

Analyſis chemica nihil nos docet de naturâ iſtius veneni. Eſt-ne alkali-num? acidum? Ignoramus adhuc quidquid hactenùs dixere chemici hypotheticum nobis videtur.

De ſymptomatibus.

Non ſtato definitoque tempore exoritur hydrophobia. Alii citiùs, alii tardiùs infeſtantur (1). A vario gradu morbi in animali mordente, à robore

(1) On lit dans *Jean Bauhin* qu'un enfant fut mordu par un chien enragé, & qu'il fut atteint de la rage un an après. *Portal* qui rapporte ce fait, dit qu'il eſt fait mention dans les curieux de la nature, d'un autre ſujet qui n'enragea que quinze mois après la morſure.

On lit auſſi dans les mémoires de l'Académie des Sciences de Montpellier, qu'un Négociant de cette Ville ayant été mordu par un chien enragé, partit, ſans s'appercevoir de rien, pour la Hollande ; de retour, après dix ans d'abſence, on lui apprit la mort tragique de ſon frère qui avoit été mordu par le même chien, arrivée 40 jours après ſon départ ; à peine eut-il entendu ce récit, qu'il devint triſte, rêveur, & périt 30 jours après de l'hydrophobie. Ceci prouve combien l'imagination frappée peut dans le développement du virus de la rage, & combien ce même virus peut reſter caché.

& ſpecie ejuſdem animalis (1), à temperie ægrotantis, à diversâ victûs ratione, ab animi pathematibus, & tandem à variis corporis partibus læſis, pendet ea diverſitas.

A ſymptomatibus diverſis prænunciatur hydrophobia. Vulnus anteà ſanatum profundè dolet, rubeſcit ita ut echymoſim diceres, aſpera inæqualiſque fit ſuperficies, intumeſcit, & tandem purulentâ, nigrâ fætidâque ſanie aperti vulneris labia inundantur. Ægritudine oppreſſus æger, gemit ſpontèque fluunt lacrymæ; cogitabundus eſt, ſomnus turbatur, vox modò fortis, modò acuta, aliquotiès verò extincta (2). Hominum ſocietatem deſerit, & oculi lumine feſſi, obſcura loca petunt. En paucis primus rabiei gradus quem graviora brevi ſymptomata ſequuntur.

Iſtis prælibatis difficilis reſpiratio cum ſuſpiriis editur. Vividiſſimo calore vexatur miſerrimus æger (3). Vox rauceſcit, horrore perſtringitur, capilli ſubriguntur, potûs neceſſitatem ſitis & oris ſiccitas indicant, aſt ad ſummam miſeriam in vanum bibere conatur, ita ut ſiti ſimul & aquæ metu cruciatur. Omnia pellucida, lucem, omnia liquida uti jam enucleavimus, horret (4). Quotieſcumque quis ad eum accedit, ejulat; oculi torvi; porraceam bilem aliquotiès vomitu reddit, adeſt priapiſmus ingens, acri mox ſpumâ os inundatur. Adſtantibus inſputat, & ſæpè ſæpiùs eos deſiderio mordere tenetur.

---

(1) Le virus du loup eſt plus actif que celui du chien; celui-ci l'eſt plus que celui de l'homme : on a vu par exemple une fille qu'un jeune homme avoit mordu au doigt, traîner durant un mois une rage déclarée, & en guérir; ce qu'on n'a pas vu après les morſures d'autres animaux. *Sauvages*, diſſertation ſur la rage.

(2) Ce ſont divers changemens dans la voix qui ont fait croire que le ſujet enragé avoit celle de l'animal dont il avoit reçu la maladie; & cette idée qui eſt ſi abſurde a été celle de pluſieurs hommes célèbres. *Rhazés.*

(3) Une femme enragée à laquelle M. *Fizes* prêtoit ſes ſoins, lui crioit qu'elle aimeroit mieux être brûlée, que d'éprouver le feu qu'elle reſſentoit.

(4) M. *Haguenot* nous a donné l'hiſtoire d'un payſan, qui fut tranquille dès qu'on eût éteint la lampe qui éclairoit la chambre où il étoit. Mém. de la Soc. de Mont.

Sunt

Sunt qui febricitant; sunt verò qui febre immunes sunt; ii plerumque ad Deum preces fundunt, simulque adstantes ut sibi caveant monent, & brevi tempore convulsivæ morti occumbunt. Quam miserorum qui in huncce morbum incidunt deploranda sors!

De prognosi.

A Medico differentia morbi stadia distinguenda veniunt, ut justè portendere possit. Maxima igitur ad illa debetur attentio. Sunt casus in quibus sopitum remanet venenum hydrophobicum; periculosa semper est hæc falsa quies, & vividior sæpissimè exurgit morbus. Pauca verò ab ægrotante, si remediis convenientibus in insultu morbi utatur, timenda nobis videntur; præcipuè si timore non laboret, quare quo minatur periculum ægro tacere expedit. » Si paulò post morsuram perfectè coëat vulnus, inquit celeb. *James*, & » nulla remaneat crusta, certa est curatio & nihil timendum est. » Contrà si non perfectè coëat & crustâ cooperiatur, hæc nimis incerta nobis videtur prognosis, ut illi adhibeatur fides, quamvis tamen plurimùm faciat status vulneris.

Nullam esse salutis spem credidere veteres cùm ad secundum tertiumve gradum pervenisset morbus. A neotericis contraria probantur. Constat enim multos in istis gradibus fuisse sanatos (1). Cæca nihilominùs fides his non est exemplis adhibenda. Sunt enim qui nullâ arte curari potuere; & si laudabilem non præbeat materiem plaga, si animi tranquillitatem non

---

(1) Je viens de sauver en 1768, par l'usage des frictions mercurielles, une femme chez qui la cicatrice qu'elle avoit au doigt s'étoit déjà rouverte avec beaucoup de gonflement & un endolorissement général du bras jusqu'à l'aisselle; symptômes qui caractérisoient le développement du vénin, &c. *Tissot*, avis au peuple.

Je pourrois rapporter plusieurs autres faits encore plus frappans que celui-ci, si le temps me le permettoit; on peut pour s'en convaincre lire la savante dissertation de M. *de Sauvages*.

recuperet æger, ſi quieto non fruatur ſomno, & tandem ſi continuo horrore aſpectu aquæ teneatur, penitùs deſeſperet Medicus.

De curatione.

Nunc verò reliquum eſt ut rationes curativas & remedia huic morbo præcipuè accomodata expediamus. Cùm verò nec tempus, nec ſpatium omnia veterum antidota enarrare ſinant, pauca de iis proferemus. Etenim omnium quæ contrà hydrophobiam à ſuperſtitione & ineptiâ adhibita fuêre immenſus eſſet remediorum catalogus. Quare animadverſiones quaſdam faciemus & ad utiliora properemus.

Rabiem malè tractavere veteres ridiculis periculoſiſque præjudiciis dediti obſervandi methodum neglexere. Paucis en eorum curationis methodus. Cùm vulnus exiguum dilatabant, venam plùs minùſve ſecabant, diætam calefacientem jubebant, longiſſimam ſuſtinebant ſuppurationem, purgantia adhibebant, abundantem diaphoreſim excitare conabantur; balnea tanquam hydrophobiæ ſpecifica exiſtimabant, & prætereà ſuum cuique erat peculiare remedium. Immenſis celebrabant cauterium actuale laudibus; hoc celeberrimorum *Van-Swieten* & *Tiſſot* aſſenſu approbatum fuit; negat verò illius efficacitatem *Portal*, dicens. « Avant de recourir aux cautères qui arrêtent » plutôt l'écoulement du virus qu'ils ne le favoriſent, il faut faire des » ſcarifications pour empêcher le virus de pénétrer la maſſe des humeurs; » les ſcarifications ſont ſuivies d'un écoulement de ſang qui dégorge la » plaie; & l'application du cautère produit un effet contraire. Sic putat illuſ. » *Sauvages* » (1).

Cùm quis à cane demorſus fuerit antequàm ægrotantis curationem ſuſcipiat, primò an vere rabidum ſit animal inquirat Medicus (2). Sequentia ex

(1) Diſſertation ſur la rage.

(2) On a ſouvent traité, comme l'a obſervé *Vandermonde* dans ſon dictionnaire de ſanté, des perſonnes de maladies qu'elles n'avoient pas, & c'eſt ce qui a accrédité une foule de remèdes abſurdes.

Boërhaavio desumpta animalia esse rabida indicant. « Cùm primùm incipit
» apud canes rabies, sunt tristes, solitarii, se abscondentes; multi quoad
» latratum murmurantes tamen: cibum, potumque omnem adversantes;
» in ignotos quoslibet irati & irruentes, heri tamen adhuc & memores
» & reverentes; aures caudamque dimittentes; somnolentorum instar in-
» cedentes. Hactenùs primus gradus mali eis adest: morbusque tùm exceptus,
» periculosus quidem, non verò pessimus est.

» Dein anhelare, linguam exerere, spumam plurimam emittere, hiare;
» nunc segniter aut semisopiti, nunc subitò celeriter incedere, nec rectâ
» semper viâ, mox ne herum quidem ampliùs agnoscere; oculos habere
» demissos, lacrymosos, pulverulentos; linguam plumbeo habere colore;
» subitò gracilescere, insanire, furere; hic secundus est gradus morbi,
» quem vix triginta horis ferunt, quin moriantur. »

Ubi de veneno suscepto constat, vile neci dandum est animal, ne aliis communicetur malum, & deindè ad destructionem veneni deveniat Medicus.

His præmissis ordo rei nunc postulat, ut ad remedia quæ primum tenent locum in curandâ hydrophobiâ accedamus. Medendi methodus in eo sedet, ut quam celerrimè scarificetur vulnus, ita ut copiosè fluat sanguis; quæ conditio introductioni veneni in corpore vehementiùs obstat (1); ut abluatur plaga cum aquâ salsâ aut aceto; dein digestivo cui addetur tertia pars unguenti mercurialis circùm circà fricetur vulnus, & magni videtur momenti, ut ad exitum totius veneni diù aperta maneat plaga.

Emeticorum & purgantium usum tantummodò determinare certè valent

---

(1) Un chien enragé entra dans un étable où étoient renfermés plusieurs bœufs & beaucoup de vaches; la plupart de ces animaux périrent de la rage; frappé de leurs mugissemens, un domestique court à l'étable, il en ouvre la porte, le chien sort & le mord aux jambes; il coule des flots de sang de ses plaies; les hémorrhagies s'arrêtent sans aucun secours, & il ne survient aucun symptôme. *Portal*, observations sur la rage.

circumſtantiæ. Maximè & magis peculiariter temperamentis pituitoſis pinguibuſque congruunt. Per totum morbi decurſum adhibendi ſunt clyſteres; commendandus balneationis uſus. Ratione terroris immerſionem in aquam frigidam vituperant recentiores, præcipuè clariſſimus *Portal* qui unà cum illuſ. *Laſſone* & *Nugent* quam maximè balneationem tepidam laudat, ex quâ egregios obtinuiſſe ſucceſſus aſſerit. Minuenda quoque venit alimentorum copia. Pro potu erit ptiſana refrigerans hordei aut florum tilliæ. Excitanda eſt quamplurimum levis ſalivatio. Huic methodo inſiſtendum per menſem unum & alterum adhibitis ſimul mercurii præparationibus internis; & quod melius eſt non ſecùs ac in lue venereâ adminiſtrandum eſt hydrargirium. Uſurpanda quoque veniunt anti-ſpaſmodica. Doctor *Nugent* unus inter primos adeſt qui anti-ſpaſmodicorum uſum in curandâ rabie ſuaſerit. Magni faciunt Practici aſſam-fætidam, caſtoreum, cinnabrium, nitrum, opium, præ primis camphoram & moſchum, quæ percelebres *de Laſſone* & *Tiſſot*, non verò fractâ doſi, multis extollunt laudibus. Alkali quoque volatilis uſus in tractandâ hydrophobiâ non eſt ſpernendus, teſtantibus *Sage* & *Leroux*.

DIXI.